

(1116) - MARZO*; ASTORITO

Alfonso I “el Batallador” confirma las posesiones, términos y privilegios del monasterio de San Pedro de Siresa, donde se educó.

ACH Armario 2, n. 74; pergamino de 428 x 240 mms., parcialmente roto en el margen inferior izquierdo y con diversas manchas que dificultan la lectura. Copia del siglo XII.

FDZ Liber Privilegiorum de San Juan de la Peña, t. I, p. 610 - 614, con numerosas lagunas. Copia del siglo XVI.

Pub. ARCO, Ricardo del; *El monasterio de Siresa*, “Linajes de Aragón”, 1914, p. 322 - 324. Data en 1113.

Pub. DURAN GUDIOL, Antonio; *Colección diplomática de la Catedral de Huesca*, t. I, n. 119, p. 145 - 147. Data en 1116.

Cit. AHN, Códices, 286 B, Extracto del Liber Privilegiorum, n. 476.

Cit. BRIZ MARTINEZ; *Historia de San Juan de la Peña*, p. 686 - 687.

Cit. MORET; *Annales*, t.II, lib. XVII, p. 244 - 245.

Cit. GAVIRA; *Episcopologios*, p. 88.

Cit. ARCO, Ricardo del; *Notas biográficas*, “Boletín de la Academia de la Historia”, 133, 1953, p. 129. Data en 1116.

(Crismón)

In Christi nomine et eius diuina clementia. Ego quidem Ildefonsus, Dei gratia rex Aragonensis atque Pampilonensis, amore diuine pietatis ductus et pro remedio anime mee et remissione peccatorum Patris et matris mee aliorumque predecessorum meorum, facio hanc cartam corroborationis et confirmationis beato Petro, principi Apostolorum, et ecclesie Sirasiensi clericisque ibidem Deo seruientibus, de omnibus donatiuis prefate ecclesie factis tam regibus quam comitibus aliisque hominibus, cuiuscumque fuerint condonationes.

Statuo quoque libenti animo et spontanea uoluntate ut predicta Siresiensis ecclesia habeat et possideat et perpetuo inuiolata et intemerata, in bona pace et quiete absque ulla molestia et inquietacione, omnia collata prenominate monasterio a suprascriptis personis, sicut in privilegiis eorum continetur: villas, scilicet, predia, possessiones, terminos quoque et defesas atque paschueros et, si qua sunt, alia donatiua antiquitus ipsi ecclesie concessa.

Preterea notum sit omnibus tam presentibus quam futuris quod dono et concedo ecclesie Sancti Petri, ubi fui nutritus, et canonicis ibi Deo famulantibus terminos quos habuerunt et possederunt in tempore regis Sancii, patris mei, et regis Petri, fratris mei, et aliorum regum et comitum predecessorum meorum, montes, ualles, siluas. In primis, uidelicet vallem de Asun et de Allarat, de Ornat et de Vespen en ioso sicut aqua uertit de una serra ad aliam, cum illo fuero quod rex Sancius, pater meus, stabiliuit.

Mandauit enim quod si aliqui per forzam uellent figere ibi capannas, populatores de Ecxo prendant pignora illorum et adducant ad Sirasiam et habeant ipsi medietatem de illo carnale et monasterium aliam medietatem et .LX. solidos de calonia.

Insuper dedit mandatum hominibus de Ecxo ut omni tempore per unum diem in anno laborent ad opus de Sirasia cum bouibus suis quando et ubi prior de Sirasia inuitauerit eos ad laborandum.

Item aliud dedit mandatum: quod populatores de Ecxo laborent in Asun ad opus suum, excepto quod non intrent in illos campos cognitos de Sirasia et dent de fructibus quo ibi habuerint, fideliter decimas et primicias ipsi monasterio.

Confirmo etiam ipsi ecclesie estiuam que uocatur Allarat, sicut aqua uertit usque ad fluvium Aragonis, cum omnibus terminis qui sunt infra et omnes terminos qui sunt usque ad monasterium.

Item afirmo predicto monasterio totam vallem que est de illa entrata de Aquatorta en ioso, siluas, montes, campos, Subasc cum suis campis et Ozam similiter cum suis campis, estiuam que uocatur Agnellam cum suis agorrals, estiuam que dicitur Aguer et unum cubilar in Aquatorta et aliud in Guarinza.

Concedo similiter beato Petro cla[ui]gero¹ et eius monasterio hanc libertatem et ingenuitatem: quod quicumque in toto termino infra aream de Asun et infra pontem riuu Hospitalis et infra petreram aliquem uirum uel feminam irata manu percusserit aut ibi uiolenciam fecerit aut ibi pignus abstraxerit, pectet mihi et succ[essoribus] ¹ meis .M. solidos et persoluat ipsi monasterio pro unoquoque clerico ibi habitante .LX. solidos.

Assigno etiam et assignando prefigo ecclesie de Siresa terminos quos habuit tempore patris mei, et alios tam regum quam comitum predecessorum meorum de valle de Ecxo et de uillis in ipsa valle existentibus: [E]cxo, [...]os¹, Biesa et de Ordos, Loresa, Villanoua, Monasteriolo cum suo monte, Ostes, Catarech cum omnibusterminis eorum, qui sunt de illa serra de Arahues usque ad serram de Aratodeia, et de villa de Berbos en suso et de illa entrata de Aquatorta en ioso sicut suprascriptum est.

Illud quoque notum [sit]¹ cunctis quod concedo prenominate ecclesie vallem de Ardanes et de Ollellala usque ad Fozem cum uillis qui sunt de Olellola usque ad riuum qui diuidit terminum de Gordito et de Orsa, et sicut fluuius Aragonis diuidit, usque ad serram que est super vallem de Grossin, cum illo pacco, sicut aqua uertit uersus Orsan, usque ad predictum riuum, Orsan similiter, Enbun, Castel Sihuerr, Grossa, Sarnes, Archesa, Assues, Ardanes, Barbuas.

Istud similiter cognitum sit cunctis quod quando campi de Siresa qui sunt de Arripa Maron usque ad illud monasterium fuerint [ter]minati¹, nec transeant aliqua animalia per uiam que transit ad Sirasiam nec oues nec vacce nec eque. Quod si fecerint et mandatum istud contempserint, domini ouium uel aliorum animalium pectent ipsi monasterio .LX. solidos.

Hec itaque omnia supradicta laudo et corrobore et in perpetuum indissolubiliter tenen[dum ab inte]gro¹ confirmo. Si uero aliquis rex uel comes de genere meo aut quilibet alius successorum meorum contra hoc factum ire uoluerit aut temerario ausu infregerit, sit particeps penarum Gehennalium cum Datan et Abiron, quos terra uiuos obsorbuit, et habeat porcionem cum Iuda tradi[tore in]¹ inferno inferiori. Conseruantibus autem et custodientibus illud sit pax, salus et uita in celesti patria et Domino nostro Ihesu Christo per infinita secula seculorum, amen.

[...] ¹ pretaxato monasterio donatium assigno: quod nullus hominum terre mee

¹ Aparecen entre corchetes aquellas partes del pergamino que estaban borrosas y que han sido reconstruidas, en lo posible, ateniéndonos al sentido del texto

pignoret animalia que portent uictualia ad opus clericorum ibidem Deo seruientium. Quod si fecerit et huius mandati mei contempnor fuerit, siue sit nobilis siue ignobilis siue potens siue impotens, cuiuscumque sit conditionis uel or[dinis]¹, pectet mihi et successoribus meis.M. solidos et pro unoquoque clericorum persoluat ipsi monasterio.LX. solidos.

Ego Ildefonsus rex totum scriptum superius laudo et confirmo et corroboro et hoc sig- (signum) num facio.

Facta carta era .M.C.L.I., in mense marcii, in villa que dicitur Astorito. Regnanteme Dei gratia in Aragone et in Pampilonia, in Superarbi et in Ripagorza. Episcopus Stephanus in Osa. Episcopus Raimundus in Rota. Episcopus Guillelmus electus in Iru[nia]¹. Garsias de Biele, abbas in supradicto monasterio de Sirasia. Segnor Acenar Acenarz in Funes. Segnor Lope Lopez in Calahorra. Segnor Ennecho Galindez in Sors. Barbaza in Lusia. Castang in Biel. Per Petit in Boleya. Segnor Fertung Garzez in Pueyo et in Tena. Fortungno lohans in Tamaretho. Segnor Atzone in Boyl et in Montisone¹.

*. El documento está datado en la era de 1151, año 1113. La mención al obispo Guillermo de Pamplona como "electo" obliga a corregir el año a 1116.